

Version latine n°1 : cabotinage et escroquerie

*Encolpe, le narrateur, Eumolpe, le vieux poète, et deux autres de leurs comparses désargentés, arrivent au gré de leurs pérégrinations à Crotone, ville dont ils apprennent que la captation d'héritage y est élevée au rang des beaux-arts. Aussitôt, un plan d'attaque est élaboré...
Longueur LM : texte entre crochets droits. Longueur LC : intégralité.*

Prudentior Eumolpus conuertit ad nouitatem rei mentem genusque diuitationis sibi non displicere confessus est. Iocari ego senem poetica leuitate credebam, cum ille : « Vtinam quidem, inquit, sufficeret largior scena, id est uestis humanior, instrumentum lautius, quod praeberet mendacio fidem : non mehercules operam istam differrem, sed continuo uos ad magnas opes ducerem. » Atquin promitto, quicquid exigeret, dummodo placeret uestis, rapinae comes, et quicquid Lycurgi uilla grassantibus praeuisset : « nam nummos in praesentem usum deum matrem pro fide sua reddituram. »

[« Quid ergo, inquit Eumolpus, cessamus minimum componere ? Facite ergo me dominum, si negotatio placet. » Nemo ausus est artem damnare nihil auferentem. Itaque ut duraret inter omnes tutum mendacium, in uerba Eumolpi sacramentum iurauimus : uri, uinciri, uerberari ferroque necari, et quicquid aliud Eumolpus iussisset. Tanquam legitimi gladiatores domino corpora animasque religiosissime addicimus. Post peractum sacramentum seruiliter ficti dominum consalutamus, elatumque ab Eumolpo filium pariter condiscimus, iuuenem ingentis eloquentiae et spei, ideoque de ciuitate sua miserrimum senem exisse, ne aut clientes sodalesque filii sui aut sepulcrum quotidie causam lacrimarum cerneret. Accessisse huic tristitiae proximum naufragium, quo amplius uicies sestertium amiserit ; nec illum iactura moueri, sed destitutum ministerio non agnoscere dignitatem suam. Praeterea habere in Africa trecenties sestertium fundis nominibusque depositum ; nam familiam quidem tam magnam per agros Numidiae esse sparsam, ut possit uel Carthaginem capere. Secundum hanc formulam imperamus Eumolpo, ut plurimum tussiat, ut sit modo solutioris stomachi cibosque omnes palam damnet ; loquatur aurum et argentum fundosque mendaces et perpetuam terrarum sterilitatem ; sedeat praeterea quotidie ad rationes tabulasque testamenti omnibus idibus renouet. Et ne quid scaenae deesset, quotiescunque aliquem nostrum uocare temptasset, alium pro alio uocaret, ut facile appareret dominum etiam eorum meminisse, qui praesentes non essent.]